

ORDO
COMMENDATIONIS ANIMAE,

TITULUS SEXTUS.

SUMMARIUM.

- 1 Mors est momentum, a quo pendet aeternitas.
- 2 Preces institutae ad finem juvandi morientem.
- 3 Iste ordo insertus est in Breviario, ut sit manualis.
- 4 Usus commendandi Animam est antiquior S. Gregorio.
- 5 Antiqui utebantur variis Benedictionibus.
- 6 Quicumque Sacerdos potest commendare Animam fidei morienti.
- 7 Ministri, et Clerici necessarii in commendationem Animae.
- 8 In Clausura monasteriorum non adhibentur ministri.
- 9 Vestis propria Sacerdotis commendantis Animam.
- 10 Sacerdotes quare vestiendi ante Infirmi cubiculum?
- 11 Candela accendenda in commendatione Animae.
- 12 An ista Candela debeat esse benedicta?
- 13 Fideles tenere solent candelam appensam ad lectum.
- 14 Candela juvat in agone morientem.
- 15 Oratio quare fiat genibus flexis?
- 16 Litaniae breves quare sic dictae?
- 17 Litaniae breves dicebantur in Exequiis, et in Missa.
- 18 Litaniae breves reformatae a Benedicto Papa XIII.
- 19 Respondetur singulis versiculis: *Ora pro eo, etc.*
- 20 Agon quid significet?
- 21 Quodnam dicatur tempus Agonis?
- 22 Certa regula hujus temporis dari non potest.
- 23 Regulae generales pro dignoscendo tempore Agonis,
- 24 *Proficiscere, etc.* est magna, et ultima denunciatio facta morienti.
- 25 Haec denunciatio pronuncianda est graviter.
- 26 Cur in nomine Mariae Virginis non fiat haec denunciatio?
- 27 Oratio in Commendatione Animae a D. Petro Damiano composita.
- 28 *Amen* quid significet, et quare dicatur?
- 29 Tormenta passa a Sancta Thecla.
- 30 Theatrum pro virgine est magnum tormentum.
- 31 Numerus Orationum dicendarum praescribi non potest.
- 32 Orationes, et Preces in commendatione Animae possunt replicari.
- 33 Oratio facta a Christo Patri suo.
- 34 Passio Christi cur legatur morienti in agone?
- 35 Oratio de Passione dicenda ab aegrotante, si valet.

- 36 Quivis alius pro moriente potest illam recitare.
- 37 Psalmi dicendi in agone, et eorum significatio.
- 38 Trium piarum Orationum Author.
- 39 Indulgentiae assertae pro recitatione harum trium Orationum.
- 40 Sunt meditandae a moriente, si valet.

1 2 Grande momentum, a quo pendet aeternitas, illud est, in quo fit animae a corpore separatio: ideoque nihil magis curandum est ab homine, quam felix ex hac vita exitus. Quapropter studendum, est a ministro Ecclesiae, ut Actus ultimus Infirmi morientis ita claudatur, et absolvatur, ut spes aeternae salutis post illum remaneat. Ad hunc finem itaque pia mater Ecclesia instituit has ultimas preces super Infirmum dicendas, virtute quarum Anima illius ad aeternam beatitudinem deducatur.

3 Priusquam vero ad explicationem Rubricarum hujus Tituli deveniamus, nonnulla dicenda sunt ex Gavanto. *p. 2. sect. 9. c. 5. de ordine commendationis Animae*; quoad originem, et institutionem harum Orationum, et precum, de quibus a dicto Gavanto sermo habitus fuit, eo quia talis *Ordo* non tantum in hoc libro Rituali insertus est, sed in Breviario Romano etiam. Ut enim quilibet Sacerdos ad manus habeat hunc ordinem, necessitate praesertim urgente, in calce Breviarii superradditus est, si desit Rituale.

4 5 Usus autem commendandi Animas Fidelium in earum exitu est antiquior Sancti Gregorio, qui de eo meminit, *Hom. in Evang. 37*. Sed exempla adducta ad ejus antiquum usum comprobandum a Gavanto, nihil aliud probant, nisi quod Antiqui ad commendandas Animas utebantur variis benedictionibus, non autem precibus, et Orationibus hic insertis, quas tamen in antiquis Manuscriptis observavit ita coordinatas, excepta mutatione quorundam Sanctorum in Litanis brevibus. Sed haec satis sint circa institutionem harum precum, et hujus ordinis.

§. I. Parochus ad decedentis Animae commendationem accedens, Clericum saltem unum, si potest, secum habeat: qui deferat Vasculum Aquae benedictae, superpelliceum, et stolam violaceam, quibus ipse Sacerdos ante infirmi cubiculum indutus, locum ingrediens, dicat: *Pax huic domui, etc.* Deinde aspergat aegrotum, lectum, et circumstantes Aqua benedicta dicens: *Asperges me, Domine, etc.*

6 Quamvis in Rituali hoc officium commendandi Animas,

Parochus assignetur (quia cum haec quoque sit cura Animae, ad Animarum Curatum spectare debet) nihilominus cuicumque Sacerdoti, nedum Parocho, datur facultas commendandi Animas Deo in hora mortis, et in transitu earum, Gavant. l. c.

7 In quo opere exercendo ministri subalterni sunt necessarii. Pluries diximus de necessitate ministrorum associantium Parochum: hic denuo repetitur, tam pro servitio deferendi suppellectilem Sacram, quam pro respondendo precibus, et Orationibus: Quandoque enim fit, ut non adsint nisi Pueri, et Foemellae, quae ad nihilum valent, nisi ut plorent, et ejulent.

8 Et nota, quod de ingressu in monasteria non intelligit Rubrica, quoniam Clericus ibi adhibendus non est, et pia Sanctimonialia valent respondere, et adjuvare, ubi opus fuerit.

Si clericus non adsit, per se ad omnia sufficere debet Sacerdos, eo magis quia Cotta, et Stola non magni ponderis sunt, ut portentur; et Aqua benedici facile potest in quacumque domo.

9 Vestis itaque Sacerdotis propria pro commendatione Animae est Cotta, et Stola. Alcuinus *cap. antepenult. relatt. a Gavant. loc. cit.* meminit hujus indumenti: quamvis enim commendatio Animae non sit Sacramentum, sed Sacramentale, attamen decet, ut habitu, et Sacerdotali Veste accedat Dei minister etiam in Sacramentalibus.

10 Quod postea ante Infirmi Cubiculum induere se debeat Sacerdos, hoc fortasse sit, ut majorem venerationem inferat morienti, si viderit Sacerdotem ad se venientem Sacris Vestibus ornatum; illa enim mutatio de una in aliam vestem ante oculos Infirmi deformitatem parere potest.

Primo Sacerdos salutat cum Pace, dicens: *Pax huic domui. etc.* De ista salutatione, et aspersione jam diximus in *Titulo de Visitatione, et cura Infirmorum*, §. 19. Meminit hujus Ritus etiam Alcuin. *loc. cit.*

§. II. Postea Salvatoris nostri Crucifixi Imaginem aegroto osculandam praebat, verbis efficacibus eum ad spem aeternae salutis erigens, ipsamque Imaginem coram eo ponat, ut illam aspiciens, salutis suae spem sumat.

Pariter de Cruce deosculanda mentionem facit Alcuin. *loco supracit.* Et jam in antecedenti *Titulo de modo juvandi morientes* satis dictum est de hac Cruce, seu Imagine Christi Crucifixi, et de verbis efficacibus ad erigendam in Infirmo, et moriente spem aeternae salutis.

§. III. Deinde accensa candela, genibus flexis, cum omnibus circumstantibus, breves Litanias devote recitet, in hunc modum: *Kyrie eleison, etc.*

11 Si non adsit haec Candela in domo Infirmi morientis, omnem curam adhibere debet Sacerdos, ut de ea provideatur: nec magni dispendii esset si ipse Parochus eam secum deferret, quando deesse praeviderit.

13 Videtur, quod ista Candela debeat esse benedicta, atque ad hoc, ut plurimum pii Fideles utuntur Candela cum Benedictione Rosarii Beatissimae Virginis ob devotionem. Potest esse etiam benedicta in die Purificationis, et huic necessitati (si benedicta Candela non adsit) succurrit Ecclesia, praescribens Benedictionem Candelarum extra diem purificationis Beatae Mariae Virginis, ut suo loco dicemus, quae Benedictio quancumque a Sacerdote fieri potest. Insuper Fideles, qui de exitu Animae suae curam habent, appensam prope cubile teneant Candelam benedictam, toto vitae suo tempore, ut ad opus hoc praesto sit; et tunc de novo benedicenda non est.

14 Ista Candela Cruci consociata mirifice juvat morientem ex instituto Apostolico, et illam adhibuisse Apostolos in obitu Sanctae Marthae Hospitae Christi Domini refert S. Antoninus *p. 1. t. 6. cap. 20.* Gavant. *l. c. nu. 5.* ubi etiam de Crucis effectibus coram moriente loquitur cum Tobia *p. 1. c. 66.*

15 Commendatio Animae fit a Sacerdote stando, unice vero genuflectit in recitatione Litaniarum. Et fit ad imitationem Christi Patientis, et Orantis, *qui procidit in faciem suam orans.* Matth. 26.

16 17 18 19 Modo de Litanis. Breves appellantur istae Litaniae ad distinctionem Litaniarum majorum, quae post Psalmos Poenitentiales, et alibi recitantur. De quibus alias diximus. In antiquis Mss. eas vidisse testatur Gavant. *l. c.* excepta nomenclatura, seu invocatione quorundam Sanctorum. Istae Litaniae ne dicantur in exequiis mortuorum, neque in Missis solemnibus pro Defunctis, ut olim mos erat, monet Corsett. *d. Tract. 2, p. 2. c. 9. n. 3. in Addit.* quibus etiam nuper, Sanctissimus Pontifex Benedictus XIII. superaddidit nomen, et Invocationem Sancti Joseph Sponsi B. M. V. ad magis magisque augendum erga praedictum Sanctum, adeo debitam, et proficuum Fidelibus devotionem; necnon ad validissimum ejus patrocinium, ampliato cultu, solemnius, et frequentius in agone mortis invocandum, et demerendum: prout in motu proprio sub die 10. Decembris 1726. Respondetur cuicumque versiculo ab abstantibus: *Ora pro eo, seu Intercedite pro eo, sive Parce ei Domine: vel Libera eum Domine;* quia tota Ora-

tio in illa occasione sit pro aeterna salute morientis, non autem pro Orantibus.

§. IV. Deinde cum in agone sui exitus Anima anxietur, dicantur sequentes orationes, etc.

20 Cur proximus exitus Animarum e corpore humano appellatus sit Agon, adeo ut apud Fideles si sermo sit de Homine in Agone posito, semper intelligatur de mortis articulo, credo, quod sit, quia proprie Agon significat certamen, et contentiosam luctam, a qua non datur recessus, absque eo quod Anima separatur a corpore: ideo proverbium graecum invaluit pro extrema, et ingruente necessitate: *Nunc Agon est.* Equidem in homine moriente hoc certamen verificatur, cum Anima quodammodo cum corpore luctetur, contendendo separationem, et invicem divisionem harum duarum partium Hominem constituentium. Dura enim divisio est, et aspera; ex quo illud dictum fuit. Regum 1. c. 15. *Siccine separas amara Mors?*

21 22 23 Tempus agonis itaque extremum tempus est Vitae Hominis, ad quod dignoscendum, ut ferventius preces effundat, et oret pro eo Sacerdos, certa regula dari non potest, cum vel peritissimi Medici in hoc saepe allucinentur. Aliquando enim quis morti proximus videtur, et post dies moritur: aliquando quis exitu distans, et repente expirat. Fessus fuit hanc veritatem diligentissimus Mancini d. in ejus Praxi *visitandi Infirmos, p. 2. pract. 11.* Nihilominus visum sibi fuit utile fore, aliquas Regulas generales ex iis, quas alias observaverat, adducere, e quibus non mediocris cognitio in hac materia eruitur, ad quas Lectorem, et Parochum remitto, cum facile sit volumen Mancini prae manibus habere.

24 25 Verbum illud *Proficiscere Anima Christiana, etc.* est prima denunciatio, quae fit Animae, ut corpus deferat, et ab illo separetur, atque ad suam aeternitatem se conferat. Vere terribilis denunciatio, ad quam morientes bonis sensibus praeditos non raro vidi contremiscere, et gelido sudore perfundi. Quapropter Sacerdos illa verba graviter pronunciare debet, ut vere a moriente, si fieri potest, audiantur.

26 Continet haec denunciatio compendium Litaniarum jam recitatarum, et omnium Ordinum Hierarhiorum, quorum in Litanis facta est per nomina enumeratio, a Sanctissima Trinitate initium sumens, et usque ad Sanctas Virgines, et omnes sanctos, et Sanctas Dei descendens, et procedens, servato ordine Litaniarum. Unice mentio deest Sanctissimae Virginis Mariae, de qua nulla alia commemoratio fit in hac commenda-

tione Animae, nisi in Litanis per verba *Sancta Maria. Ora pro eo, etc.* Quod cur ita factum sit, penitus ignoro, nec apud Scriptorem aliquem rationem ullam, huc usque adinvenire mihi concessum est. Certe inter Orationes morientium, antiquitas, quinque Orationes ad Mariam Virginem enumerantur in antiquo Rituali Taurinensi impresso usque de anno 1589. quod postea in Romano sub Paulo V. Summo Pontifice, locum non habuere.

O intemerata, et in aeternum benedicta Virgo Maria totius angustiae adjutrix, succurre nobis dulciter, et concede famulo tuo N. fratri nostro, tuam gloriosissimam faciem in ultima necessitate sua, et disperde omnes inimicos ejus, in virtute dulcissimi filii tui D. N. J. C. et sanctae crucis: et defende eum potenter a dracone infernali et a visione, et ab omni fraude malorum Spirituum: et Libera eum de omni angustia corporis, et animae, ut Laudes dicat domino Deo in saecula saeculorum. Amen.

ORATIO.

Sancte Michael Arcangele etc.

Haec oratio ad B. V. Mariam extat in antiquo Manuscripto Codice iuscripto. *De arte, et scientia bene moriendi*, apud me, cum plurimis aliis Orationibus recitandis in Agone, inter quas... *Proficiscere Anima Christiana etc.* et aliae nonnullae, quae in Rituali Romano pariter insertae perleguntur, et communiter recitandum hodie in fidelium agone. Ex quo patet desertam semper non fuisse B. Virginem Mariam in supplicationibus pro felici transitu Animarum saltem apud antiquos, licet in recentiori Ritualis Rom. reformatione, de eadem Sanctissima morientium adjutrice nulla videatur haberi consideratio in Orationibus, sed tantummodo brevis habeatur invocatio in serie hierarchica brevium Litaniarum tunc cum post tertium Kyrie eleyson subsequitur *Sancta Maria etc.*

27. Oratio *Commendo te omnipotenti Deo, etc.* est integra epistola, quam S. Petrus Damiani scripsit Amico suo morienti, ut facile dignosci potest ex ejus operibus jam impressis *T. 1. lib. 8. ep. 15. n. 150.* de qua meminit Gavant. *d. loco cit. n. 4.*

28 Cuicumque versiculo, seu supplicationi in hac Oratione contentae respondetur per adstantes, *Amen*, per quod verbum affirmant id, quod a Sacerdote pronunciatum est. Meminit Com.—P. 11.

hujus Ritus respondendi *Amen* S. Augustin. *epist.* 178. *et tract* 4. *in Joann.* Vox hebraea est, quae significat apud nos idem, quod *Fiat*. Et usurpatur in deprecationibus a tempore usque Apostolorum 1. *Cor.* 14. tam a Graecis, quam a Latinis, et numquam fuit immutata, Gavant. *T. 1. t. 9. n. 17.*

29 30 Enunciatur in istis precibus tormenta tria atrocissima a S. Thecla tolerata in ejus martyrio, his verbis: *Et sicut beatissimam Theclam Virginem, et Martyrem tuam, de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic, etc.* Ista tormenta confirmantur a Baron. *in not. ad Martyrolog. Rom. sub. die 23. Septembris,* fueruntque Ignis, Theatrum, et Bestiae. Sed Gavantus loco supra dicto miratur, quod Baronius non explicet quodnam in Theatro passa sit tormentum distinctum a Bestiarum faucibus, quasi non aliud daretur tormentum in Theatro, nisi illud Bestiarum: et tamen Gallon. *de Martyrum Cruciatibus,* alias exponit carnificinas, in Theatris exponebantur Christi fideles pro Fide. Si non aliud tormentum sustinisset haec tenella Virgo, illud esset quod sola exponeretur insultationibus Populi, et praecipue lictorum. Vide Tertulian. *de Theatro,* et alia invenies tormenta absque Sanguinis effusione, quae Virginibus infligebantur. S. Cyprianus indicat Theclam in agone mortis nominari *in orat. pro Martyribus et in die Passionis;* quem sequuti sunt in hoc Ritu eodem SS. Terentius, et Socii, monente eodem Baronio, sub an. 47.

§. V. Si vero diutius laborat Anima, poterit legi super eum Evangelium Sancti Joannis, etc.

31 32 Hora exitus cum sit, ut diximus, incerta, difficile dari potest, et praescribi norma, et numerus Orationum dicendarum: Ideo si Anima Infirmi morientis adhuc in agone laboret; Ecclesia praescripsit alias preces, et Orationes dicendas per modum subsidii. Sicuti enim, si plene recitatis his Orationibus, adhuc moriens vivat, possunt repeti, et iterum recitari jam recitatae, ita si infirmus vere moriatur ante complementum illarum, istae obtruncari, et finiri debent: Ecclesia itaque potius abundare in hoc voluit quam deficere.

33 Evangelio, seu Historiae Passionis Dominicae per S. Joannem Evangelistam conscriptae voluit Ecclesia, ut praecederet Oratio a Christo facta ante ejus agonem, in qua praeter alia, adest illa excelsae, et infinitae misericordiae, et charitatis expressio: *Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi sum ego, et illi sint mecum,* Joann. 17. a qua moriens magnae consolationis argumentum desumere potest, pro aeterna sui salute.

34 Passionis Christi memoria hoc loco fructuosissime legitur, quia per illam salvi facti sumus, P. Damian. *ep.* 6. l. 7.

§. VI. Oratio ad Dominum Jesum Christum de singulis articulis Passionis ejus, dicenda a moriente, vel ab alio pro eo. *¶. Adoramus etc.*

35 Supponit in hoc casu Textus noster, quod moriens in tali statu mentis, et sensuum sit, quod loqui possit, utpote quia variae Infirmities dantur, quae mentem, et linguam liberas relinquunt Infirmis, usque ad ultimum Vitae momentum. Dato igitur hoc casu, moriens de per se, ita a Sacerdote monitus, potest hanc Orationem recitare, quae cum singulos Passionis articulos commemoret, potest in animo recitantis suscitare compunctionem cordis, adeo dulciter, et suaviter, necnon compendiose, sed clare in illa exprimentur ea, quae in Dominica Passione evenere. Semper recordari debemus Passionis, et extremorum laborum Salvatoris, sed praecipue in exitu Animae, pro cujus redentione passus est, Rho *in Pass. Dom. Praemedit. p. 4.* Quapropter si moriens legere non valeat, ipse Sacerdos, de verbo ad verbum, Orationem illi recitet, cum pausa, non defatigando morientem in illo statu tanti periculi.

36 Eo magis a parente necessitas dicendae talis Orationis ab ipsomet Infirmo si proprio nomine nuncupari debet, ut demonstrant illa verba, *Libera me,* vel si alius dicit pro eo, *Libera famulum tuum a poenis, etc.* Alius etiam praeter Sacerdotem. potest illam recitare pro moriente, unde non opus est, ut semper sit Sacerdos qui recitet.

§. VII. Dici praeterea possunt sequentes Psalmi: *Confitemini Domino. Beati Inmaculati. Retribue, etc.*

37 Ne, durante agone morientis, Orationes, et preces desint, addit Rituale etiam istos tres Psalmos. Prior de misericordia Dei loquitur. Alter de munditia cordis. Tertius vero de Animae desiderio fruendi bona coelestia, ut explicat Ayguanus,

§. VIII. Tres piae, et utiles morientibus orationes,

cum tribus *Pater*, et tribus *Ave Maria*, in agone recitandae, etc.

38 Quisnam fuerit harum trium piarum Orationum Autor, juvat scire. In quodam libro inscripto . . . *Sacra Baptizandi Institutio juxtae Sanctae Romanae Ecclesiae, etc.* impress. Augustae Taurinorum 1589. ad pag. 13. habentur haec praecisa verba ad modum Rubricae conscripta: *Cum Homo est in agonia mortis, legendae sunt sequentes Orationes. §. Erat quidam Papa, qui dum ad extrema venisset, interrogat Capellanum, suum, Virum idoneum, et devotum, quem plurimum diligebat: quibus suffragiis post mortem eum vellet apud Deum juvare. Qui respondit: quod omnibus modis, quibus posset: et quaecumque juveret pro salute animae suae facere vellet. Et Papa ait: Non peto aliquod a te subsidium: nisi dum videris me in agonia positum: Dominicam Orationem pro me, tribus vicibus dicas: qui sibi libentissime promisit hoc. Ad quem Papa cum primum Pater noster dixerit: dic in memoria agoniae Domini nostri Jesu Christi, ut infra patebit. Cum secundum Pater noster dixeris, dic in memoriam omnium Passionum Domini nostri Jesu Christi, ut infra. Cum dixeris tertium Pater noster, dic in honorem ineffabilis Charitatis Domini nostri Jesu Christi, ut infra. His dictis promisit Capellanus haec omnia se libenter facturum, quod et fecit cum diligentia, et devotione qua potuit. Post mortem reversus est Papa splendidus ad eum, et coruscans, grates immensus sibi referens, et dicens ab omni poena se esse liberatum. Nam post primum Pater noster, Dominus noster Jesus Christus sudorem suum sanguineum pro me Patri ostendens, omnem meam propulsavit angustiam. Post secundum Pater noster, per amaritudinem omnium Passionum suarum, omnia peccata mea, ut nubem delevit. Post tertium Pater noster, per Charitatem suam Coelos reseravit, et me cum gaudio introduxit.*

Ex hac Revelatione a dicto Capellano pluribus manifestata, et per varias Orbis partes divulgata, factum est, ut introducta sit consuetudo eandem modum tenendi in orando pie, et devote circa morientes, cum validissima spe, quod Oratio hoc modo facta, valeat Homines ab insidiis Diaboli liberare, et illis Regna Coelorum aperire.

Hujus Historiae Fides sit penes Authorem suum. Ego nec addo, nec imminuo. Scio etiam alios Scriptorum eam referre, et praecipue Aulisium supra allegatum, p. 1. c. 38. p. 297. qui eam reperisse scribit in quodam Libello vulgari idiomate conscripto ab Augustino Sellio, cui titulus *Conforto degli Agonizanti*. In margine vero haec habentur. *Process. de F. Praedic.*

39 Audivi etiam, sed nescio quo fundamento, Indulgentias nonnullas applicatas fuisse a quodam Summo Pontifice morientibus, pro recitatione harum Orationum, sed huc usque hoc non audeo affirmare, sciens quam facile homines in hujusmodi rebus errari possint.

40 Certum tamen est, quod istae Orationes multam pietatem redolent, et maximos fructos parere possunt ad salutem Animae Infirmi morientis: ideoque omni fiducia recitandae sunt, et si valeat, ab aegro moriente recitandae, seu saltem meditandae in extremo agone, quando Hominum spes unice in Deo est reponenda.